CONSTANTIA
COMMENDATA
IN S. S. M. M.
IVSTO, AC PASTORE
GERMANIS FRATRIBVS.

Per PRIMANOS, ET SECVNDANOS
in Scholis Pijs.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMÆ,
Typis Ludouici Grignani. MDCXLVII.

Superiorum permiſſu.



SS· IVSTVS·ET PASTOR FRES MART·

ILLVSTRISSIMIS, AC EXCELLENTISSIMIS

DD. PRINCIPIBVS

D. FEDERICO MARIÆ,

&

D. IOSEPHO INNOCENTIO

CÆSIIS.

PRIMANI, AC SECVNDANI MILITES in Pijs Paleſtris. ſel.

CVI nam iure magis debentur Lilia, quàm Lilijs? forſitan illorum fragrantia magis redolebit, quàm inter ſe copulata, atque coniuncta? En duo, quorum ſuauiſsimi odores Cęleſtium afflantur naribus, vobis afferuntur ad olfactum; quibus deinde, tanquam ſupernis Sertis, veſtra exornentur tempora. Bene duo cæleſtia Sidera veſtris capitibus imminentia, præter imperia vobis nil aliud portentura, demonſtrantur; potiori ſcilicet ratione, quàm Berenici per Cononem quondam oſtenſa fuerunt aſtra, inter quæ eius comam voti cauſſa detonſam collocatam fuiſſe quadam is non mediocri aſſentatione comminiſcebatur. Gemelli duo feliciùs hoc tempore diuino ſuper Thaboris culmine colluſtrati lumine vobis Gemellis in hoc Romano Orbe colluccentibus præmonſtrantur ad æmulationem, dum eorum in pœnis pro Chriſto toleratis fortitudinem reue-

remini. Per ſe quidem maioris lucis non indigent; dum de Lumine lumen perenniter accipiunt; nec magis hiſce noſtris delectari nugellis, credibile eſt, dum de torrente voluptatis æternum potant. Sub veſtro tamen nomine illorum Commendatá per nos in tormentis CONSTANTIAM prodire gaudent: nam Principes Principum actibus delectari ſolent. Siquid tamen inſolitum eſt in eloquentia, ignorantiæ noſtræ vt ignoſcatur exoramus; quando Principum eſt ignoſcere, minus corrigere. Valete. E Scholis Pijs S. Pantaleonis VIII. Id. ſextil. 1647.

ILLVSTRISSIMVS, ATQVE EXCELLENTISSIMVS DOMINVS, DOMINVS FEDERICVS CAESIVS, ROMANVS, ET PRINCEPS AQVASPARTAE.

Anagramma purum.

ISTE ADOLESCENS QVANTVS ERIT! VIR PRVDENS, SVMMVSQ. (EA SOLA LAVS, SVMMA SANE) DVX CVNCTIS POSTERIS FELICIS IMPERII.

ILLVSTRISSIMVS, ATQVE EXCELLENTISSIMVS DOMINVS, DOMINVS IOSEPH INNOCENTIVS CAESIVS ROMANVS.

Anagramma purum.

O SORS! EN, EN HIC, QVAMVIS SIT SIC TENVIS ANNIS, LVX, ET SOL SVMMO LVMINE SPLENDIDVS, SICVT MAIORES SVI.

FEDERICVS, ET IOSEPH INNOCENTIVS CAESII, FRATRES GERMANI, ATQVE ROMANI.

Anagramma purum.

FARE, AGE: II, QVI? NONNE REFERENTES HIC SECVM CANDOREM IVSTI, PASTORIS? ITA.

Diſtichon.

IVSTI, ac PASTORIS præconia iure dicantur
FRATRIBVS HIS, idemqueis bene candor ineſt.

CONSTANTIA COMMENDATA.

INVSITATVM pugnæ genus. Excellentiſſimi Principes, omnimodum reſpuit exordium. Vbi Iuſtitia cum Nequitia pugnat, cum Tyranno contendunt paruuli: Gemelli duo cum Præſide iniquiſſimo; cum Daciano Iuſtus, & Paſtor ſeptennis ille, nouennis alter, cum homine niſi annis ſaltem ſceleribus, diris, maleficijs adultiſſimo; præludiorum vitentur ambages oportet. Verùm, quæ pugnæ cauſſa, quæ contentio? Num Arenæ dimicatio? Non: immo Chriſtianæ fidei confeſſio. Dimicat Præſes, vt vincat paruulos: Paruuli obſiſtunt, ne vincantur à Præſide: à maiore ſcilicet viribus, ac potentia; non fortitudine, qua præ Pueris ille minor, qua deuictus, qua triumphatus. Ipſa victoria in multiplici palæſtra reuertentium ad pugnam admirata eſt Puerorum fortitudinem; Fortitudinem ſcilicet, quæ & iuſta pericula contemnere; nec non repellere; prouocare; nouit & excipere. Et hæc virtus admirabilior in Pueris, quā in Scæuola temeritatis reo, minus audaciæ viro. Excepit focus Mutij facinus, manumque nudis oſſibus fluentem diſtillare paſſus non erubuit quamuis rubeſceret. Sed diuiniore modo excepit lapis Puerorum cōſtantiam, dum ſuæ duritiæ naturam in mollem conuertit culcitram. Humanus factus eſt lapis, dum lapis duriſſimus ex Marpeſia caute Dacianus euaſit. Naturam viciſſim ſibi tranſmiſerunt: Sed lapis glorioſior perſeuerat inter humanos, dum Dacianus vituperatior vtpote qui victus à pueris, qui victus à lapide in certamine humanitatis adnumeratur inter inhuma-

nos & feros. Et quæ maior vnquam feritas, quæ minuſculæ non pepercit ætati? Quidnam, ſi maiores fuiſſent? Num grauiora, num frequentiora, num crudeliora aduerſus Infantiam reperire tormenta potuiſſet? Illos Compluti optimo genitos omine Mundus agnouit, quaſi completam viſuros victoriam ante completam ætatem. Complutum in Pueris completum vidit ex Daciano trophæum, quod tanquam Gemini Heſperij itinere ad cælum per tormenta complanato ibidem ſtatuere certiùs, quàm Laconici de Theſeidis; ſiue Octauianus hoc eodem die de Pannoniis, Dalmatis, Iapidibuſque. Vix infantia egreſſi Præceptores fuere, quamuis Abecedarias tabulas percurrerent. Diuinos optimè caracteres, Charitate magiſtra, callebant dum ſe natu maiores docuere Chriſtianam audaciam, à quâ longius abibant; dum ſpeluncas, & antra ſibi quærebant ad ſalutem, quando Pueri publicas inibant vias, & fora, vt Daciano noteſcerent, quos ipſe nondum indagabat. Vide quantò acrior ſit ad occupanda pericula virtus, quàm crudelitas ad irroganda. Admirabilis quidem fortitudo, Attiliana maior, dum ij ſibi mortis pericula prouocant, quos nondum poſſunt propter ætatem ipſa pericula perterrefacere. Admiratione capitur Præſes de Puerorum animi præſtantia, ſed minus de eorundem pietate mouetur infantia. Iubentur à Præſide flagra Pueris admoueri: ſed in illum iracundiæ, furoriſq. flagella congeminare parat Erynnis. Nudantur membra, coarctantur vinculis, configuntur verbera, iterantur ictus: ſed diuino confirmati robore Pueri, Præſidē furentem derident, aſpernantur verbera, concupiſcunt maiora ſupplicia. Nec mirum, quòd inter verbera deficere non poſſent, quibus æternum Verbum pollicita ſuppeditabat verba, vnde Tyrannum redderent elinguem. Inter ipſos rubentes verberum vibices magis erubuit impietas victa per Dacianum hieroglyphicòs expreſſam. Nam impietas nulla alia ratione clariùs apud Romanos fuiſſet denotata, quàm ſub alicuius Daci figura; inde Dacianus appellatus, impietatis, idelicet thema, feritatis ſymbolum. Puerorum conſtantiæ verbera fuere pro ſtimulis ad Curriculum, vt metam in ſupernis

Boedromijs aſſequerentur ſui cum eſfuſione ſanguinis, cuius guttulis tanquam corallijs ſibi monile pretioſius Eryphilæo compararent, quo circundati inter puerorum cæleſtes Chriſti nuptias proſequentium Cœtus in albis adſcriberentur, Candidati, necnon Purpurati. Iure Prætexta induti, ac bullis aureis donati præter ætatem à Chriſto, non tantum vt Pueri; verum etiam vt Magiſtri; ac in Cæleſti Curia veluti Senatores cum ſummo Rege iniquiſſimum Dacianum condemnaturi. Sed cur, præter ætatem? Quinimmo perfecta in Iuſto reperta fuit ætas: nam Septennis, quæ hebdomaticam in mundi fabrica deſignat abſolutionem. Non ergo mirum, ſi poſt ſeptem ætatis annos requieuit Iuſtus ab inceptis operibus. Opus quidem abſolutiſſimum apud Cælites, quamuis ætas ab infantia in pueritiam videretur adoleſcere. Nec minus in Paſtore triplicata trieteride perfectiſſimum viſum eſt æuum. Nam quid vnquam perfectius quam pro diuiniſſima Triade in trina annorum triade necari? Fortunatiſſimi Infantes! quibus tãquam exoptatæ victimæ paratur Ara, in qua immolemini pro Chriſto. Sed mitis Ara, quæ licet ſaxea, ſuũ tamen aperire ſinum, quo vos exciperet à Daciani feritate inſectatos, viſa eſt. Quos neci deſtinauit prodigioſa feræ ſub humana ſpecie Crudelitas; lapidis quaſi benigna nutrix Diritas ęternitati reſeruatos amplexata eſt. Ipſe Lapis veſtrorũ de Daciano trophæorum erigitur in Arcum. Non indiget Parijs aut Numidicis Complutum marmoribus ad inſigne vobis victoriæ monumentum excitandum: nam Lapis ipſe genibus, manibuſq. veſtris inſculptus tanquam lemniſcis exornatus, & encarpis perennem in Orbe Heſperio Triumphi fornicem deſignatum oſtentat. Sed dum ipſa vobis acclamant ſidera; feliciùſq. hoc Auguſto menſe, & in ipſo die, quo nouam Chriſtus induit figuram, quæ cum niuibus candore certaret; Soliſque radios ſplendore præcelleret, nunc eluceſcere videntur; Huius Oratiunculæ meæ caligo deliteſcat; ac ignorantiæ tenebræ in ipſa Silentij contumulentur vmbra. Dixi.

Io: Baptiſta de Vecchijs. Rom.

CAR-

CARMEN.

QVAM modò mens Vrbem petijt, quæ vidit in Vrbe,
Audiuitque, canam. Vos, ò duo ſydera Cœli,
Iuſte, precor, Paſtorque, mihi aſpirante canenti,
Vos ego dum fortes, tenui celebrare Camœna
Aggredior, fuſas memorans pro Numine vitas.
Mente Vrbem aſpiciens, quæ ſint ea mœnia, quæro.
Reſpondent Ciues: celebris clariſsima ſunt hæc
Mœnia Compluti. penetrat vix nomen ad aures,
Cùm properè geminos video concurrere fratres,
Et ruere ad ſæuas Daciani Præſidis ædes.
(Cuncta docent Ciues, atque ordine ſingula pandunt.)
Atque introgreſsi Daciano talia fantur.
Quod, Daciane, iubes, ſcelus eſt: mandata capeſſant
Hæc, quicunque tua eſt ſub Relligione Deorum;
Nos Vni, Trinoq. Deo pia vota, preceſque
Fundimus; aſsidua nos hunc ſuper æthera laude
Tollimus; hunc Verum; at tua Numina, falſa fatemur.
Chriſtiades ſumus; & Chriſti pro nomine cunctas
Stat pœnas perferre; neci ſtat tradere membra
Ante, priùs quàm degeneres tua iuſſa ſequamur.
Obſtupet hìc Præſes teneris miratur in annis
Tàm fortes reſidere animos; dum nomine Iuſtum
Septima, Paſtorem tantùm nona aſpicit æſtas.
Hos tamen, vt pueros (puerùm nam vertere mores
Verbera ſæpè ſolent) cædi iubet: ilicet atrox
Dextera Carnificum ſæuit; ſed pectore firmo
Cuncta ferunt ambo crebro gaudentq. ſub ictu.
Non ſecus ac miles, ſeu cùm Cybeleia terga
Pulſa tonant, ſeu cum crepitantia cornua rumpunt
Aethera, quadrupedumq. hinnitus tollitur aſtris;
Sic fratres gaudent, reſonant dum membra flagellis.
Nunc quid agat Præſes, Fratrum conſtantia mentes
Ne trahat, & ſacris corda Ethnica legibus arctet?
Abſcindi clàm colla iubet: mora nulla: Tyranni

Clàm

Clàm ducunt Pueros, magnoque in marmore ſiſtunt:
Ecce ſuperpoſitis genibus (mirabile viſu!)
Ac manibus lapidem molleſcere; firma tamen ſtat
Sæuities, lapide aſperior; nam protinus enſes
Nudant Carnifices, & candida colla recidunt.
Hæc finis fratrum geminorum: hic exitus illos
Eripiens terris victores miſit in aſtra.
O fortes Pueri, Pueri ſed corpore, & annis;
Namque animo Heroës: quis veſtrum fortia facta,
Sit licet eximius, queat exornare canendo?
Qui benè, vos fortes, extollere poſſit ad aſtra
Nullus erit; tantùm tacitus mirabitur omnis,
Viuet & æternum conſtantia veſtra per æuum.

Cecini.

Franciſcus de Valle Patritius Rom.

In eorundem honorem.

EPIGRAMMATA.

decantata, &

ANAGRAMMATA.

Pro Chriſto qui patitur alijs ad ſalutem Præceptor eſt

SS. IVSTI, ac PASTORIS exemplo.

Cur Pueri tabulas, in queis monſtrata Magiſtro
Lectio percolitur ſpernitis, & Socios?
Num ſatis imbuti, dum vix elementa puelli
Nouiſtis? vobis lectio nùmne noua?
Iamſatis edocti, dum promptis pœna ſubitur,
Pro Chriſto patiens quippe magiſter erit.

Ioannes Baptiſta Ciocchellus Rom.

Dum

Dum mandas Pueris inſligi verberâ, Præſes;
Et fuſo vt rubeant ſanguine membra iubes;
Ornamenta paras; quibus in Cæleſtia tendant
Exculti: tales optat & illa Domus.
Verber acu pingit, ſpargit cruor ipſe pyropos;
Quàm benè ab inſlicto verbere fulget honos!

Paulus Scarlatinus Rom.

Lapis molleſcit, dum ibi genua flectunt;
IVSTVS, & PASTOR.

Imperat Infantum Dacianus colla recidi,
Ignoto & condi membrula cæſa ſolo.
Sed ſecus in fatis: nam dum cæduntur, oborto
Prodigio, exponunt quid ſibi ſaxa velint.
Excepit genua Infantum lapis ipſe, manuſq.
Dum caderent, veluti cera liquata focis
Marmora te rara vincunt pietate, Tyranne,
Dum pia ſe præbent, factus es ipſe lapis.

Io. Antonius Scentrius Fulginas.

Verberibus non expaueſcunt in Fidei confeſſione
IVSTVS, & PASTOR.

Verbera congeminat Pueris præcepta Satelles
Impius, & torto verbere membra ſecat.
Quid facis infelix? Num congeminata mouebunt
Verbera, quæ firmat pectora verus Amor?
Falleris: in pœnis fortes facit eſſe Gigantes
Alma Fides Pueros: fit puer ipſe Gigas.

M. Antonius de Anſelmis Senenſis.

Præſidis impietas damnatur. Ad Tyrannum.

Non pudet in tenerum ſæuos ſæuire cruorem
Enſes, dum cædi lactea colla iubes?

Iam timet ipſe lapis, mollem ſe reddit & vltrò:
Num lapide eſt animus dirior ipſe tuus?
Abſcio; quin gladius molleſcat; in effera Iudex
Aeternus ſeruat viſcera, dire, tua.

Io. Sanctes Fortinus Albanus.

Locus Martyrij fit glorioſum Sepulcrum.

Occiſos Pueros tumulari mandat arena,
Quam ſacer amborum tinxerat ante cruor.
Quando triumpharunt præclariùs Vrbe Quirites,
Efficitur Pompæ dum locus ipſe necis?
Non opus eſt oſtro, quo præcingantur, & auro;
Eſt idem ſanguis Concha, Corona fides.

Franciſcus Fantutius Sabinus.

De Puerorum ætate nimis tenera.

Aetas quàm viridis Puerorum paſſa ſupremam,
Dum nerent Parcæ ſtamina longa, necem!
Septennis IVSTVS, PASTOR tormenta nouennis
Summa tulit. diri ò Præſidis impietas!
Hæc tamen impietas ambobus profuit; alta
Quis ſecus Empyrei tecta ſubire poteſt?

Iacobus Philippus Torregianus Rom.

Lapis ipſe ſuper quo decollati ſunt, pro Triumphali Arcu.

Externis quondam edomitis poſt gentibus Arcum
Mos fuit extolli, & debita dona dari:
Defuit haud noſtris Pueris Victoria; deſint
Nec meritis, ſuperùm iuſta trophæa Domo
Ipſe ſit, ad quem, ceu ſacram obtruncauit ad aram
Impius Infantes, arcus in Orbe Lapis.

Vincentius de Veteribus Tiburtinus.

SAN-

SANCTI IVSTVS, ET PASTOR FRATRES.

Anagramma.

PVERI SVNT; AT SATIS ACRES, FORTES. *t, in e.*

Epigramma ad Zoilum.

Vix lectum eſt Anagramma, furens cum, Zoile, latras,
Atque ais: hi FORTES *quomodo, ſi* PVERI?
Accipe: SVNT PVERI, *numeres ſi, Zoile, tempus:*
Sunt FORTES, *animos, Zoile, ſi penetres.*

Carolus Cauatius Rom.

SANCTI IVSTVS, ET PASTOR FRATRES.

Anagramma.

ACTA STVPES? ORTI FVERANT ASTRIS. *s, in a.*

Epigramma.

Iuſtus adhùc tenera, Paſtorq. ætate virebant,
Nonus enim huic, illi ſeptimus annus erat;
Cùm fera ſpreuerunt minitantis iuſſa Tyranni,
Molliaq. horriſonis membra dedere flagris:
Lactea cùm diræ colla obiecere ſecuri,
Firmarent proprio vt ſanguine teſte, Fidem
ACTA STVPES ORTI FVERANT (quid ſuſpicis?) ASTRIS:
Vel Pueri, orti aſtris, non niſi magna gerunt.

Io. de Cæſaris Sabinus.

EPIGRAMMA.

Præſidis audierant vix Fratres iuſſa, perirent
Vt cuncti, nollent qui dare thura Deis;
Cum liquere Scholas, &, quas de more ferebant,
Abiectis tabulis, oppetiere necem.
Plurima non ſolis manat ſapientia libris:
Abiectis tabulis, hi didicere ſatis.

Valerius de Valle Patritius Rom.

Et-

EPIGRAMMA.

Ecce viri diſcunt, dum plura volumina tractant:
Hæc noua res non eſt: lectio multa iuuat.
Sed cerne; hi Fratres dum proiecere tabellas;
Hæc noua res, Pueri plus didicere Viris.

Eraſmus de Valle Patritius Rom.

EPIGRAMMA.

Intrepidos audit Pueros dum verbera Præſes
Sæua pati, abſcindi colla tenella iubet.
Cum, flexis genibus, manibuſq. hærentibus, ingens
Cernitur impoſitus mollis ineſſe lapis.
Hic ego non miror, ſi cor riget vſque Tyranni:
Cor lapide, ac ferro durius eſſe ſolet.

Ioſeph Panicola Rom.

TRIVMPHVS

IN FERIIS SEXTILIBVS 1647.

Ex Triarijs in litteraria Palęſtra ſtrenuiſſimi.

PRIMANORVM.

Io: Baptiſta Ciocchellus Romanus.
Paulus Scarlatinus Romanus.
Io: Antonius Scentrius Fulginas.
M. Antonius de Anſelmis Senenſis.
Io: Sanctes Fortinus Albanus.
Io: Antonius Bugata Bergomas.
Franciſcus Fantutius Sabinus.
Franciſcus Rubinus Sabinus.
Io: Baptiſta de Cæſaris Ciſternen.

SECVNDI.

Io: Baptiſta de Vecchijs Romanus.
Bernardinus Agratus Mediolanenſis.
Vincentius Mutius Pedemontanus.
Angelus Bartolucius Rom.
Iacobus Philippus Torregianus Rom.
Vincentius de Veteribus Tiburtinus.
Sanctes Riccius Sutrinus.
Daniel de Clara Coſentinus.
Sebaſtianus Franciſconius Rom.

TERTII.

Ludouicus Claritus Rom.
Vincentius Frezza Rom.
Marianus Giaccherinus Ligur.

Inter primos Sagittarios paruuli duo pares.

Antonius Ticciatus Rom.
Stephanus Clauarinus Genuenſis.

SECVNDANORVM.

Dominicus Bettantius Picenus.
Andreas Maſius Vrbinas.
Carolus Biſaiga Vercellenſis.
Ioachimus Paolettus ex Amatrice.
Thomas Ferrettus Neapolitanus.
Gaſpar Toſcanus Mediolanenſis.
Thomas Franciſcus Berretta à Lacu Verbano.
Franciſcus de Valle Rom.
Iacobus de Matthæis Rom.
Angelus Palminius Rom.
Andreas Bardus Tuſculanus.

SECVNDI.

Dominicus Benedictus Stantianus Romanus.
Claudius Grugnalius. }
Valerius de Valle. }
Carolus Cauatius. } Rom.
Ioſeph Panicola. }
Michael Guerra. }

TERTII.

Dominicus Bellucius Rom.
Vitalis Paradiſius Rom.
Eraſmus de Valle Rom.
Petrus Bizarrus Picenus.
Io: Baptiſta Georgius Lugdunen.
Io: de Cæſaris Sabinus.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE